

ACTA CONSISTORIALIA

Pro Concessione Pallii Patriarchæ Antiocheno Syro Maronitarum.

In Consistorio Secreto habito die 28. Martii 1757.

ARGUMENTUM.

DIE duodecima Februarii, Anni 1756. cum e vi- vis excessisset Reverendissimus Dominus Simon Petrus Evodius, Patriarcha Antiochenus Syrorum Maronitarum: in nimirum, quem Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus datis die 16. Martii 1743. Litteris, ad compescendas dissensiones in Electione Patriarchæ subortas, Patriarcham Auctoritate Apostolica constituerat; die autem 13. Julii 1744. in Consistorio Semipublico, ad complementum Patriarchalis dignitatis, Pallio Pontificio donaverat: Veraciter de more Navendialis, Archiepiscopi & Episcopi ejusdem Nationis Syrorum Maronitarum, quibus eligendi Patriarchæ jus competit, convenerunt in Chesroano apud Anturam in Aede Sancti Josephi: & unanimi omnium consensu, die 28. ejusdem mensis Februarii, elegerunt in Patriarcham, Reverendissimum Dominum Tobias Gazenium, Cypri Archiepiscopum: quemadmodum ex hoc Synodico ipsorum Decreto perspicuum redditur.

Archiepiscoporum & Episcoporum Decretum Electionis Reverendissimi Domini Tobiae Gazenii, Archiepiscopi Cypri, in Patriarcham Antiochenum Syrorum Maronitarum.

LAUS DEO SEMPER.

Præsentibus Litteris pateat, Nos infra scriptos in Aede Sancti Josephi apud Anturam convenisse ibique juxta Sacros Canones, præscriptaque in Sanctis Synodis Constitutiones, elegisse Reverendissimum Dominum Tobias Gazenium, in Beatissimum Patriarcham Sedis Theopolis Antiochiæ, plenaque omnium nostrorum libertate, atque unanimi consensu, eundem in Patriarcham nostrorum, nostræque Nationis Patrem adscripsisse; debitam ipsi obedientiam, subjectionemque secundum Statuta Sanctorum Synodorum exhibebimus; dummodo idem ipse Formulam Professionis suæ, Pontifici Sanctæ Romanæ sedis exhibeat, Fidemque Catholicam usque ad sanguinis effusionem conservet. In quorum fidem in Sancto nostro Concilio hanc syngrapham a nobis subscriptam dedimus die vigesima octava Februarii, Anno 1757.

Archiepiscopi & Episcopi.

- Philippus Lytra. Stephanus Botri. Gabriel Ptolemaidis. Joannes Laodiceæ. Germanus Tripolis. Michael Damafci. Antonius Arca. Josaphat Tyri. Petrus Paneadis. Joseph Sidonis. Joseph Beryti. Joachim Eden. Arsenius Tagriti.

Postea, tum ab Electo Patriarcha Tobia, tum ab Archiepiscopis & Episcopis Electoribus, ad SS. Dominum nostrum PP. BENEDICTUM XIV. & ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, una cum R. P. D. Arsenio Heliopolitanæ Archiepiscopo, ipsius Electi Patriarchæ Oratore & Procuratore, Littere misse sunt, quibus devotissime Sanctitatem suam regent, ut Electum Patriarcham confirmare, eique Pallium, plenitudinis Pontificiæ Potestatis insigne, concedere dignetur. Sunt autem hujusmodi.

Epistola Electi Patriarchæ Petri Gazenii ad Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum Papam XIV.

SANCTISSIME PATER.

Ego Tobias Gazenius Sanctitatis Tuæ servus, Cypri olim Archiepiscopus, nunc vero miseratione divina Antiochenus Patriarcha, licet indignus, coram sanctis Tuis procumbens, coque submissè ac reverenter, sicuti Christi Domini Vicarius decet, deosculans, Sanctitati Tuæ expono, duodecima die Februarii, hujus anni, Simonem Patriarcham Antiochenum, decessorem meum, ad Deum migrasse: cui ut requiem donet Dominus, suffragio sanctorum tuorum precum contingat. Die autem vigesima octava ejusdem mensis, fratres meos, tuosque famulos, Archiepiscopos & Episcopos, in Aede Sancti Josephi apud Anturam, Patrum Societatis Jesu, in Chesroano, convenisse, ibique secundum Statuta Sacri Libanensis Concilii, lati ad eligendum novum Patriarcham cum plena libertate, nullaque vi adhibita suffragiis, me tametsi immerentem, Patriarcham constituisse: quemadmodum Sanctitati Tuæ palam faciunt data ab ipsis ad Sanctam Apostolicam Sedem & ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide Litteræ. Quoniam vero, Sanctissime Pater, Beati Petri Apostolorum Principis es Successor, cui dictum est: & Tu conversus confirma fratres tuos: ideo coram pedibus tuis provolutus, enixis precibus a Te peto, ut Pallium mihi Pontificum concedas, neque in Sede Antiochena confirmes: sicuti decessores Tui felici recordationis cum meis antecessoribus facere consueverunt: idque mihi præstare digneris per fratrem meum, servum autem tuum, Arsenium Heliopolis Archiepiscopum, quem tamquam Procuratorem meum misi ad deosculandum pedes tuos, & ad impetrandam a Te confirmationem: Virum virtutibus ornatum prudentia, pietate, & patientia in excitatis adversus ipsum ex invidia persecutoribus præditum: quem, quum alicuius Monachus esset, ego autem ipse Patriarchalem dignitatem nondum inivissem, ex longa consuetudinem probe cognovi; dignum proinde censui, ut illum ad Apostolicam Sedem oblegarem, Decebat sane, ut egomet ad Sacra Apostolorum Limina visitanda accederem: Verum ab hoc me proposito detinuit, primum quidem immensa locorum distantia; deinde, quia vereor, ne quid detrimenti res Maronitarum publicæ, me absente, capiant. Itaque paternam Tuam benignitatem fretus, etiam atque etiam rogo, ut meis, meæ Nationis, atque Ablegati ejusdem Votis obsecundans Pater Beatissime, & Pallium mihi transmittas, & reliquis me spiritualibus temporalibusque beneficiis cumulare digneris; quæ quantulumcumque sint, in summum tamen mihi honorem cessura reputabo. Meæ autem erga Te, & Sanctam Sedem Tuam demissæ obedientiæ argumentum habes Orthodoxæ Fidei professionem, manu mea subscriptam, quam Tibi Nuncius meus exhibebit. Voveo enim, & promitto, coram Deo & Angelis ejus, me Sedi Apostolicæ & Romano Pontifici usque ad extremum vitæ spiritum semper & ubique obtemperaturum: operam insuper omnem collaturum, ut huic meæ Nationi, quæ perpetuis erga Sanctam Sedem obsequiit & reverentiæ documentis claruit, Deo favente, Teque annuente, amputatis dissensionibus, pacem ac tranquillitatem restituum. Interim Tuis sanctis pedibus interum demississime oscula degens, ut ad multos Te annos incolentem servet, precibus a Deo Optimo Maximo quam postum studiosissime condodatum die 20. Martii 1756.

Sanctitatis Tuæ Servus Tobias Petrus Gazenius, Patriarcha Antiochenus.

Epi.

Epistola ejusdem Electi Patriarchæ Tobiae ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide.

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

CERTIORES Vos facio, die duodecima Februarii, hujus anni, Simonem Evodium Patriarcham Antiochenum e vivis excessisse; die autem vigesima octava ejusdem mensis congregatos juxta Decreta Sacræ Libanensis Synodi in Aede S. Josephi Anturensi Patrum Societatis Jesu in Chesroano Archiepiscopos & Episcopos fratres meos, latis libere suffragiis, me licet immerentem, in Patriarcham Antiochenum elegisse; quemadmodum ex Litteris ipsorum ad Sanctissimum ac Beatissimum Pontificum Maximum & ad Sacram Congregationem Vestram datis perspicere potestis. Quum igitur æquum decessore sit, ut optimis traditionibus sacræque consuetudinibus mos geratur, ideo vestigiis Decessorum meorum ego insistent, a Sanctitate Sua petere decrevi & Pallium Pontificum, & Apostolicam in sede Antiochena confirmationem; signum autem, & pignus obedientiæ meæ ac reverentiæ erga Sanctam Romanam Sedem, patebit Sacræ Congregationi Vestræ ex Formula Professionis Fidei, mea manu subscriptæ, ac sigillo firmatæ, quam ad Apostolicam Sedem transmittito. Quamobrem Eminentias Vestras Reverendissimas rogo, ut a Sanctissimo Patre Pallium mihi Pontificum, & Confirmationem Apostolicam impetretis, unâ cum gratiis, & privilegiis, quæ meis Decessoribus concedi consueverunt: eidem insuper Beatissimo Patri significetis, quod, nisi me locorum distantia, & imminens Nationi meæ ex mea absentia periculum detinerent, per me ipsum ad visitanda Sacra Apostolorum Limina, & ad accipiendum e manibus Sanctitatis Suæ Pallium accederem. Quam vero in Sedi Apostolicæ Romanique Pontificibus obsequiosissimus, id palam facit frater meus Arsenius Archiepiscopus Heliopolitanus, quem Nuncium meum, Oratorem, ac Procuratorem ablegavi, ut pro me obedientiam exhibeat, & Pallium petat. Illum siquidem ad hoc obediendum munus idoneum existinavi, utpote Virum bonis moribus præditum, virtutibus ornatum, nibique probe notum, antequam ad Patriarchalem dignitatem evedus essem. Vos igitur post Deum obsecro, Eminentissimi Domini, ut quas ipse nomine meo porrigit, ne patiamini irritas esse & inanes preces. Interim Deum Optimum Maximum oro & obtestor, ut totus terrarum Orbis ditioni vestræ subdatur, & obducatur ab adversariis nebulæ dissipentur. Datum die 20. Martii 1756.

Tobias Petrus Patriarcha Antiochenus

III.

Epistola Archiepiscoporum & Episcoporum ad Sanctissimum Dominum nostrum BENEDICTUM PAPAM XIV.

SANCTISSIME PATER.

Post oscula Liminum Apostolicorum, sanctorumque pedum tuorum. Nos infra scripti exponimus, quod die 12. mensis Februarii, servus tuus Simon Petrus Patriarcha Antiochenus ex hac luce ad Dominum migravit: oramus, ut Deus Sanctitatem Tuam nobis conservet: post illius autem decessum, congregati apud Anturam in Chesroano in Aede Sancti Josephi, quæ Patrum Societatis Jesu est, die 28. ejusdem mensis, latis secundum Decreta Sacræ Libanensis nostræ Synodi suffragiis, eligimus servum tuum, fratrem nostrum, Tobias Gazenium, Cypri Archiepiscopum, nobili genere natum, eumque unanimi consensu, spontanea voluntate, omnique vi remota, nostram Patriarcham constituimus. Itaque coram Apostolicis pedibus tuis procumbentes, supplices petimus, ut eidem Reverendissimo Domino Patriarchæ nostro Tobiae Pallium Apostolicum, & Pontificiam in Sede Antiochena Confirmationem concedere digneris: aliis insuper eandem cumulare velis

zum consuetis gratis, tum etiam magloribus, quam quibus prædecessores ipsius Patriarchæ ab Apostolica Sede sunt ornati: idque tam propter ipsius generis nobilitatem, morum honestatem, in rebus agendis solertiam, religionis fervorem, quam propter exitimam, quam Apostolicis mandatis tuis semper exhibuit obedientiam, impensoque ab eodem in Sede Patriarchalis beneficium, Patriarcharumque obsequium & in procuranda Pontificiarum Tuarum Litterarum executione, labores. Rogamus quoque paternam Tuam Clementiam, Pater Beatissime, ut oculos tuos ad Sedis nostræ Patriarchalis favorem benigne convertas: non enim Sanctitatem Tuam latere arbitramur, quantis illa malis ob tyrannicam Infidelium oppressionem ha-genus succubuerit. Demum sanctis tuis pedibus iterum oscula degressus. Deum oramus, ut Beatitudinem Tuam diu incolentem tueatur. Datum apud Anturam die 29. Februarii 1756.

Archiepiscopi & Episcopi

- Philippus Lytra. Stephanus Botri. Gabriel Ptolemaidis. Joannes Laodiceæ. Germanus Tripolis. Michael Damafci. Antonius Arca. Josaphat Tyri. Petrus Paneadis. Joseph Sidonis. Joseph Beryti. Joachim Eden. Arsenius Tagriti. Abdalla Cypri.

Alia præterea ab ipsis Archiepiscopis & Episcopis Maronitis, necnon a Procuratoribus Gazenii, & Habituariis, in idem argumentum scriptæ sunt Epistolæ, tum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, tum ad Eminentissimos ac Reverendissimos Dominos Cardinales Procuratores Nationis, & Monachorum Maronitarum: quibus Epistolæ Electi Patriarchæ Tobiae merita, omnium assensu & plausu, enunciantur.

Totius igitur negotii examine per Sanctitatem suam ad Eminentissimos Patres ejusdem Sacræ Congregationis de Propaganda Fide venisse, in Congregatione Generali habita die 8. Martii, currentis anni, editum est hujusmodi Decretum.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide

Habite die 8. Martii 1757.

Referente bon. mem. Nicolao Lercario Archiepiscopo Rhodiensi, Secretario, postulationem ab Episcopis & Clero Maronitarum de more factam R. P. D. Tobiae Gazenii Archiepiscopi Cypri, viri zelo, doctrina, & prudentia, cæterisque virtutibus plurimum commendati, in Patriarcham Antiochiæ ejusdem Nationis, in locum R. P. D. Simonis Petri Evodii nuper defuncti, necnon preces eorumdem Episcoporum, Cleri, & Populi Maronitarum, pro supradictæ postulationis admittance, & Patriarchæ confirmatione; Sacra Congregatio censuit, consulendum esse Sanctissimo pro admittance prædictæ postulationis, & confirmatione ejusdem R. P. D. Tobiae Gazenii in Patriarcham Antiochenum nationis Maronitarum.

Quam Sacræ Congregationis sententiam, Sanctissimo Domino Nostro relatum ab Eminentissimo & Reverendissimo Domino Domino Josepho Cardinali Spinelli Præfecto, in Audientia habita die 18. ejusdem mensis, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, & in Consistorio ad ulteriora procedi mandavit. Datum ex Aedibus dictæ Sacræ Congregationis die 19. Mensis & Anni, quibus supra.

N. Antonellus Secretarius.

Hj.

His promissis, die 27. Martii, ejusdem anni 1757. indicio de more Secreto Consistorio, postquam in eo Propositiones Ecclesiarum, & alia occurrentia negotia fuerunt absoluta, Sanctissimus Dominus noster de Palatio Latino Patriarchae Orientalibus, quoties illud, postis omnibus necessariis conditionibus, postularent, concedendo, de quo Maronitis, eorumque viuis Latino similibus, in eximo in Sanctam Sedem obsequio praefatus, quid in Electione tum hujus novi Patriarchae Tobiae, tum decessoris ejus Simonis Petri Evodii gestum fuerit, luculentissima hac Allocutione exposuit.

VENERABILES FRATRES.

Quadragesima jam, & ultra, effluxerunt anni, ex quo, suborta controversia, num Patriarchae Alexandrino Graeci ritus indulgeri posset Latinum Pallium, quantumvis idem opportunis promissis monumentis comprobaret, se schisma ejurasse, suamque legitimum Procuratorem ad Urbem ablegasset, qui humiles enixasque preces suas ad ipsum Pallium obtinendum afferret, coacta fuit coram sanctae memoriae Clemente XI. Praedecessore nostro satis frequens S. R. E. Cardinalium, ac Praetorum Congregatio, cui Nos quoque interfuimus, & in qua statum fuit, ut expetitur Latinum Pallium concederetur; Nobisque ipsis contigit, pro Advocati consistorialis munere, quo tunc fungebamur, ipsam Pallii petitionem in Consistorio exponere: quod magnae postmodum consolationi Nobis extitit, quum scilicet in manus nostras subinde pervenit vetus decretum, seu resolutio multos ante annos edita, per quam ad propositum dubium, an Patriarchis Graecis ritus Latinum Pallium esset concedendum, quoties illud, postis omnibus necessariis conditionibus, postularent, affirmative responsum fuit; quae quidem resolutio ignota tunc erat, quum Patriarchae Alexandrino facta est Latini Pallii concessio.

1. Vide acta Consistoria... 2. Vide acta... 3. Ut in nostro Opere... 4. Et in Consistorio... 5. In nostris Consistoriis... 6. Et in Consistorio... 7. In nostris Consistoriis... 8. Et in Consistorio... 9. In nostris Consistoriis... 10. Et in Consistorio...

Ex quo autem Nos nullis nostri meritis ad Summum Pontificatum evedit sumus nostris ipsi manibus Patriarchae Armeniae minoris, & Ciliciae, confirmata prius illius Electione, Latinum Pallium imposuimus. Atque id ipsum in Consistorio semipublico, concedendum, transmittendumque decrevimus Cyrillo Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum, postquam examini subiecta, probataque fuerat illius electio, ipseque per legitimum ad id constitutum Procuratorem, enixis precibus sibi Latinum Pallium concedi postulaverat. Quod ipsum Latinum Pallium aliis duobus Patriarchis Armenis, subsequentibus temporibus, a Nobis illis datum est. Quod autem ad Maronitas pertinet, compertum unicuique est, eos uti Azymo, non fecus ac utitur Occidentalis Ecclesia, & sacra adhibere indumenta nostris similibus. Nostris praeterea, Venerabiles Fratres, Nos ad compendendas dissensiones in eorum Patriarchae Electione subortas Patriarcham Antiochenum Maronitarum illis constituisse Simonem Petrum Evodium, atque hunc fuisse a Maronitis libentissime exceptum, eidemque subinde concessum a Nobis fuisse Latinum Pallium, pro quo legitimus ipsius Procurator necessarios documentis instructus, in Consistorio insteterat. E vivis nuper excessit praememoratus Simon Petrus Evodius: quumque Maronitas elegerint ipsi successorem, is plane est, qui per suum Ablegatum, opportuna quaeque documenta preferentem, Pallium sibi concedi postulat, quemadmodum mos ipsi audientis ex ipsius legitimo Procuratore, quem jam nunc in Consistorio ab eo, qui id munus est, induci mandamus.

Explicit Sanctissimi Allocutione, Aule Consistorialis foribus aperta per unum ex D. D. Caremoniarum Magistris R. P. D. Philippus Maria Cirelli Trelatus Domesticus Pontificis, Signaturae Justitiae, Auditor, & Sacri Consistorii Advocatus, & R. P. D. Arsenius Heliopolitanus Archiepiscopus, Electi Patriarchae Tobiae Procurator, introducti suere, & e regione Pontificis in Sella sedentis, flexis genibus, predictus R. P. D. Cirelli Sacri Consistorii Advocatus, Sanctitatem suam se allocutus est.

BEATISSIME PATER.

Antiochena Maronitarum Ecclesia, Sanctitatis Vestrae auctoritate & providentia maximis olim perturbacionibus liberata, enixae petit, ut Pallium e B. Petri Corpore sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, nunc tradatur suo nuperrime electo Patriarchae R. P. Tobiae Gazenio Archiepiscopo Cypricum non minus Gentis Maronitarum merita, quam sua pietas, & probata in Sanctam Sedem fides, & observantia commendant, ut hunc honorem obtineat, quem habuit decessor suus, quemque, uti est eximia Sanctitatis Vestrae in omnes late populos, qui Christiano censentur nomine, digno Pontifice Maximo beneficentia, Orientalis Ecclesiae Patriarchae, parum usitato antea exemplo, hoc tempore quinquies impetraverunt.

Ea de re R. P. Arsenius Archiepiscopus Heliopolitanus Procurator ad Urbem missus, demississime rogat, ut religiosissime, quae nunquam ad partes fastidiosum, aut errantium declinavit, Ecclesia constanti Romanae Cathedrae judicio, diuturna hujus decoris accessione fruatur; atque id ipsum in genua devolutus, Tobiae Patriarchae nomine & verbis, instantius postulat, instantius, & instantissime.

Post haec Sanctissimus inermis Allocutionem prosequens, Electionem ipsius Patriarchae Tobiae quam libenter, & qua clausula se confirmasse, eidemque optatum Pallium benigne concedere, emissis prius tam hic in Urbe ab ipsius Procuratore, quam in Monte Libano ab ipsomet Patriarcha Fidei professione, totam denique Sincerae Maronitarum nationem, ne unquam obliviscantur sinceram suam adhesionem Catholicae Fidei, & Sedi Apostolicae, monendam esse, eisque simul nomine Pontificis Apostolicam Benedictionem impertiendam, ornatis hinc verbis exponere dignatus est.

ALLOCUTIO SANCTISSIMI.

Audistis, Venerabiles Fratres, expositam a legitimo Electi Patriarchae Procuratore, pro Pallio instantiam. Audistis praeterea, quibus illa fundamentis innitatur. In Congregatione negotii propagandae Fidei praeposita, jam expensa fuerunt Electionis validitatis, Electi merita, quique peractam Electionem consequutus est, omnium assensus & plausus. De his omnibus ad Nos accuratissime relatum fuit: Nosque exhibitum a Congregatione consilium sequentes, Electionem ipsam libenter confirmavimus. In ipsa Confirmatione clausulam illam praetermissimus, per quam aliae nonnunquam Electiones validari solent, etiam quoad substantialia: quum nihil in ea desideretur ex his, quae ad validitatem actus, juxta Orientalem, disciplinam, necessaria existimantur; neque vero affirmari pro certo valeat, Occidentalis Ecclesiae leges, quibus alique inducunt fuerunt substantiales Electionum nullitates, Orientalem quoque Ecclesiam afficere, de qua in ipsis legibus nulla occurrit mentio. Quae quum ita sint, annuentes precibus ab Electi Patriarchae Procuratore expositis, libenti animo optatum Pallium ipsi concedimus; ita tamen ut idem legitimum Procurator, nomine illius, a quo constitutus est, priusquam ipsi fiat Pallii traditio, Professionem Fidei emittat, juxta formulam ab Urbano VIII. Praedecessore nostro statutam; & id ipsum subinde fiat ab ipsomet Patriarcha: cui impense injungimus, ut suos Maronitas moneat, ne unquam obliviscantur sinceram Nationis suae adhesionem Catholicae Fidei, & Sedi Apostolicae, quae tanto eos amore amplexa est, & completitur eidemque simul nostro nomine Apostolicam Benedictionem impertiatur.

Postquam absolutum est Consistorium, quoniam praememorati Patriarchae Tobiae Procurator R. P. Arsenius Heliopolitanus Archiepiscopus desiderio flagrabat, quo singulari impertito beneficio, Sanctitati suae, ejusdem Patriarchae nomine, gratias saltem privatim redderet, quum in publico id facere ei non liceret: ideo post Consistorium voti compos a Pontifice perbreviter factus, in intimo suo Cubiculo flexis genibus, hunc in modum verba fecit Arabice, quae deinde Latine a R.

a R. P. D. Josepho Simonio Assetano, Bibliotheca Vaticanae Praefecto, Sanctissimi Domini Nostri Praelato Domestico, & utriusque Signaturae Referendario, redita sunt.

BEATISSIME PATER.

Tota, ac tanta sunt eximie Tuae in Antiocheno Electum meum, atque a Te in hoc Augustissimo Consensu confirmatum Patriarcham Tobiam Petrum Gazenium, benevolentiae, charitatis, ac benignitatis argumenta, ut fateri ultro compellar, vires mihi non suppetere, quo dignas Sanctitati Tuae grates rependam. Conabor tamen genuinis ipsius Patriarchae sensus, sincerisque grati animi significaciones pro modulo meo palam contestari. Est enim, Sanctissime Pater, est meus Patriarcha, obsequentissimus Apostolicae Sedis filius, suaeque erga Sanctitatem Tuam obedientiae signa minime dubia, non verbis tantum, sed illustribus etiam factis, dedit: tum nempe, quum nullam interposuit moram, quam facta a Te judicio de controversa olim Patriarchali dignitate, statim acquireret, constitutoque Auctoritate Tua Patriarchae Simonis Evodio, suo proximo Decessori, sese submitteret. Qua agendi moderatione, quantum virtutis suae opinio omnibus acceverit, datus ad ipsum humanissimis Litteris, Beatitudo tua declaravit. Itaque idem ipse, qui justis Tuis obtemperans, ut teterimum illud schisma ex duplici in Patriarcham Electione conflatum extingueretur, delata sibi dignitate se consensim abdicavit, facile erit unicuique animo concipere, quam sit in posterum luculentior erga Sanctam Sedem observantiae suae documentum praebiturus, posteaquam & Patriarchalis dignitatis, unanimiti Antistitem Maronitarum suffragio collatae, Confirmationes, & onore Pallii de Corpore Beati Petri sumpti, ipsum honorificentissime cumulasti. Quomobrem sicuti hactenus habuisti, Pontifex Optime Maxime, Ecclesiarumque Orientalium amantissime, ita nunc, & semper habebis Antiochenum Patriarcham Tobiam, & beneficiorum tuorum gratum memoremque, & Pontificiorum mandatorum observantissimum.

BREVIA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

Ad Patriarcham, Archiepiscopos, Episcopos, & Praeeres Maronitarum.

I.

Venerabili Fratri Tobiae Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ET Venerabilem Fratrem Arsenium Archiepiscopum Heliopolis a Fraternitate Tua ad Nos, atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem omnium Ecclesiarum Catholicae Orbis Matrem & Magistrum ablegatum, & humanissimas litteras praeclearis tuis ergo Nos observantiae, & debite erga eandem Sanctam Sedem reverentiae, obedientiaeque documentis insignes Nobis inscriptas, Nobisque a memorato Arsenio Archiepiscopo redditas, ea, quae Praedecessores nostri Romani Pontifices, Nosque ipsi alias profecti fueraus, Pontificia benignitate & Apostolica caritate excepimus. Quemadmodum autem Nobis permolestem accidit nuntium, viam nimirum universae carnis ingressum, & uti in justo remuneratore supremo Pastorum Principe JESU CHRISTO sperare decet, ad aeterna beatae stationis in Caelis tabernacula receptum fuisse ei. Mem. Simonem, dum in humanis ageret, Patriarcham Antiochenum multis nominibus commendatum, ita ingenti letitia in Domino exultavimus, quod Tu, Venerabilis Frater, in ipsius locum & Patriarchalem Sedem per unanimum Venerabilium Fratrum Antistitem suffragantium con-

cordiam electus, suffectusque fueris. Nobis sane compertum, exploratumque erat, Fraternitatem Tuam Sacerdotalibus Pastoralibusque virtutibus insignitam, in excelenda Christi Vineae Tibi commissa laudabiliter adlaborare; atque adeo Nobis pro certo pollicemur, Te, Venerabilis Frater, majori dignitate, auctoritate, & honore cumulatum, majori sollicitudine, vigilantia, operaque fore adnixurum, iustam inclytam Maronitarum Nationem, de qua districtam aeterno Judici JESU CHRISTO rationem reddere debes, Apostolicae huic Sanctae Sedi semper addictissimam, & veluti solem inter offusissimas, tot ferorum tenebras, & caligines lucidius praesurgentem, magis magisque confirmes, illustres, adaugeas, & promoveas. Porro quod an Electionem tuam a Nobis probandam, confirmandamque Palliumque de Corpore Sancti Petri Apostolorum Principis sumptum Tibi mittendum, enixis precibus exposcis, Fraternitati Tuae persuasum esse cupimus, Nos, a gravissima diuturnaque infirmitate sensim per ineffabilem divinitatis abundantiam convalescentes, ubi Nobis integrum fuit, ne quidquam per Nos moraretur, e lecto Secretum tum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Consistorium habuisse. In hoc itaque Consistorio Electionem tuam approbavimus, & Apostolica auctoritate nostra confirmamus, Palliumque de more Tibi tradendum mandavimus, prout ex aliis nostris Apostolicis Litteris plenius intelliges. Nec dubitamus, quin idem Arsenius Archiepiscopus Ablegatus tuus, a quo & Pallium accipies, de omnibus per Nos in hoc negotio actis gestisque Fraternitatem Tuam suscipies edoceat. Praeterea Fraternitatem Tuam, quam plurimum facimus, magnoque honore prosequimur, & Apostolica caritate in vinculo unitatis complectimur, vehementer rogamus, atque in Dominio hortamur, ut nostram imbecillitatem in ferventioribus tuis apud Deum obsecrationibus commendatam habere fatagas. Caeterum, Venerabilis Frater, bono animo esto, praedica verbum, iusta opportune, impertune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelizae, ministerium tuum imple, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam cum corona justitiae, quam repositam digne laborantibus in Caelo reddet Tibi quoque Dominus in illa die iustus Judex. Nos interim ad prosperi successus, divinique praesidii auspiciam, & studiosae nostrae ad Fraternitatem tuam, universaeque Maronitarum Nationi, cum opportuna fuae deiderit occasio, gratificandum voluntatis pignus; Apostolicam Benedictionem uberrima cum caelestium charismatum copia conjunctam, Tibi, Venerabilis Frater, eidemque Maronitarum Nationi tuae, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLVII. Pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

II.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Patriarchatus Antiocheni Nationis Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Non possumus sane satis aptis verbis explicare, Venerabiles Fratres, & dolorem, quo affecti sumus ob interitum clar. mem. Simonis, dum viveret, Patriarchae vestri Antiocheni meritis laudibus nominandi, & ingentem Pontifici cordis nostri letitiam inde conceptam, quod Fraternitatis Vestrae tanta cum animorum alacritate & consensione, tantaque cum celeritate & consensione, tantae trimenti interea temporis viduata Pastore suo Patriarchali Sede Antiochena pateretur, legitime & canonice eligere, & in Patriarcham vestrum constituere studueritis Venerabilem Fratrem Tobiam Petrum Cyprum Archiepiscopum. Nos autem, statim atque factum de Electione hujusmodi nuntium ad Nos perlatum fuit per humanissimas & ipsius Tobiae Petri

tri electi, constitutique Patriarchæ, & Fraternalitatum
 Vestrarum, ac dilectorum socium Procerum Maronitarum
 litteras, Supremo Pastorum Principi JESU CHRISTO,
 cuius vices in terris plane immerentes gerimus, im-
 mortales agere gratias non omisimus. Nulli igitur gra-
 vissimæ, diuturnæque infirmitatis nostræ ratione habita,
 lecto etiam decumbentes, Sacerdotum cum Venerabi-
 libus Fratibus nostris S. R. E. Cardinalibus Consistorium
 habere volumus, ut quamcivissimè peragerentur de
 more omnia, quæ ad Electionem hujusmodi Apostolica
 auctoritate approbandam, confirmandamque, & ad Pal-
 lium de Corpore S. Petri Apostolorum Principis sum-
 tum laudato Tobia Petro Patriarchæ vestro mittendum,
 tradendumque, semper servata fuere. Quamobrem Vos,
 Venerabiles Fratres, de hisce per Nos adis certiores
 facientes, Vobiscum ex animo gratulamur; atque in-
 simul honorum omnium largiorem Deum, qui dat
 affluenter omne donum optium, & ad æternam
 animarum salutem semper profuturum, supplices exo-
 ramus, ut Fraternalitates Vestras nova virtute induat
 ex altro, quo de virtute in virtutem crescatis in Tem-
 plo Sancto Dei, & magis magisque satagatis vigila-
 re, custodire, ac per viam mandatorum Dei ducere
 populos pastorali curæ vestræ commissos. Hinc prole-
 cto factum fore in Dominio confidimus, ut consen-
 tanea virtutibus laboribusque vestris merces tribuatur
 a justo remuneratore Deo. Interea hujus notii nostri
 auspicio, & Pontificiæ nostræ erga Fraternalitates Ves-
 tras benevolentiam testem esse cupimus Apostolicam
 Benedictionem, in populos quoque vestræ curæ cre-
 ditos redundaturam, quam Vobis, Venerabiles Fra-
 tres, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub
 Annulo Piscatoris die 30. Aprilis 1757. Pontificatus
 Nostri Decimoseptimo.

Cajetanus Amatius.



III.

Dilectis Filiis Proceribus Maronitis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecti Filii Salutem, & Apostolicam
 Benedictionem.*

Quam præclaram de vestra omnique inclytæ Ma-
 ronitarum Nationis Catholica sinceræque Fide,
 & constanti Apostolicæ huic Sanctæ Sedi adhæ-
 sione opinionem Prædecessores nostri Romani, Ponti-
 fices, Nosque ipsi semper habuimus, magis magisque
 confirmaverunt humanissimæ vestræ litteræ, quas una
 insimul cum litteris Venerabilium Fratrum tum Tobia
 Petri Archiepiscopi Cypri in Patriarcham Antioche-
 num vestrum electi, tum cæterorum Nationis vestræ
 Antistitum conjunctas ad Nos attulit Venerabilis item
 Frater Arsenius Archiepiscopus Heliopolis. Per ipsas sane
 litteras vestras explicare studuistis, & filialem vestram
 erga Nos, & Apostolicam hanc Sanctam Sedem, reveren-
 tiamque, & Electionem de eodem Tobia Petro in Pa-
 triarcham unanimi memoriam Antistitum consensu, Vo-
 bisque plaudentibus factam. Nos autem Vobis omnium-
 que studiis benigne annuentes, nihil omisimus, quod ad
 hujusmodi negotium Apostolica auctoritate nostra per-
 agendum, concipiendumque requirebatur. Quamobrem
 hoc unum superest, ut Vobis, dilecti Filii, quos pater-
 na Pontificiæ caritate complectimur, ab Omnipotenti
 Deo honorum largitore uberrimam cælestium charis-
 simatum copiam apprecemur, atque vestram pietatem
 religionemque meritis laudibus celebramus. Interim,
 Dilecti Filii, Vobis Apostolicam Benedictionem, pe-
 renne nostræ erga Vos præcipuæ benevolentiæ, dile-
 ctionisque testimonium, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub
 Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLVII.
 Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatius.

APPENDIX ALTERA
 TOMI QUARTI,

IN QUA CONTINUATIO CONSTITUTIONUM, EPISTOLARUM, &c.
 BENEDICTI XIV. USQUE AD EJUS OBITUM.